

cias, secessum amant et vitam molliorem. Adde quod eo tempore non tam erat Salomonis profusa libido, ut hospitiū jure violato pudicitiam tentaret tantar personarē; neque si Salomon in tantam feminam maximē pruriret, illam tam haberet suā libidini obsequentem, et facilem, ut cū discedere posset honestē, et liberē cum tanto sui pudoris, et boni nominis detimento ac labe, manere mallet in illo libidinis diversorio, ac pleno insidiarum hospitio. Quod si, ut multi volunt, quorum supra meminimus, hæc regina Sybilla fuit, id est, Prophetis, pudica, et virgo, quomodo verisimile est consuetudinem habere voluisse talem, qua hos omnes titulos obscuraret, aboleret et perderet? Neque ad extrellum fortunatum appellaret Salomonem, et Deo gratum, si tam videret pudoris immemorem, ut rem tentaverit, quam nemo audiret sine fastidio, nemo sine indignatione cognosceret.

In Sadoc sacerdote maximo, qui datus esse dicitur à Salomone filio suo, quem ex reginæ Saba concubitu suscepit, paedagogus, multa peccant Abyssinorum annales, et ex illis Joannis Barri *Aethiopum Historia*. Primum, quia illum filium dicit esse Azariæ, cùm potius filius fuerit Achitob, ut habes lib. 1 Par. c. 6, v. 12, et Azarias aut nepos fuerit quartus, aut atavus Sadoc, id est, anno à fundato templo vigesimo, et eo sine dubio amplius, jam Sadoc sacerdotio videtur vitâ defunctus, certè non eâ ætate ut viam illam longam ingredi et munus illud obire potuerit; egerat enim in pontificatu annos supra septuaginta, à regno videlicet Saüls ad annum usque 31 Salomonis: cùm autem sacerdotium iniit, ætatis esse debuit sacerdotalis.

Deinde quis credat hominem Israelitam, eumdemque pontificem, ablaturum tabulas quibus Deus digitis suis legem inscripsisset, ex arcâ testamenti, ut illas penè sine honore ad peregrinam et barbarem regionem traduceret? An alienarē regionis sacrorum antistes magis amans, quām sue? et templum illud, quod pro arcâ ac lege tabulis incisâ, præser-tim tot impensis fabricatum est, in ipso penè exordio, grandi illo miraculo et cœlesti dono carere debuit? Quod si cum publicâ laetitâ ac plausu exceptum fuit à Sabæis tantum illud donum, neque potuit occultum esse Salomonis, cur non statim ad suum locum revocabundum curavit? aut cur tantum de re tantâ Scripturæ silentium?

Scio hæc ab Abyssinis celebrari solita. Scio

imperatorem ipsum, quem Joannem Presbyterum communiter appellamus, hos sibi titulos inter alios arrogare. *Ex stirpe Juda, filius David, filius Salomonis, filius columbae Sionis, filius ex semine Jacob*, et alia, quæ non se valde cum veritate conciliant. Sed hæc non video, quomodo his, qui attentè rem et accuratè meditantur, suam sibi fidem probare possint.

VERS. 14. — ERAT AUTEM PONDUS AURI, QUOD OFFEREBATUR SALOMONI PER ANOS SINGULOS, SEX-CENTORUM SEXAGINTA SEX TALENTORUM. Immensum est, et dignum, cui divina et inconcussa fides testimonium perhibeat ex regionibus non admodum laxis, tanta comportari potuisse divitias; summam alii colligunt, qui fortasse tentabunt audaciū, assequunturque sine ullo errore feliciū. Ego, qui neque probare possum tantum esse sub hæc posteriora tempora talenti pondus, quantum alii meditantur et supputant, neque certum aliquid definire audeo, in tanto temporum, locorumque discrimine, satis in præsentia habebo nosse mihi atque aliis ostendere ingentem esse vim argenti atque auri, quam subacti prius à Davide et vectigales populi ex pacto singulis annis pensabant, et quam quotannis ex rerum distractione penderet Israel, et quam regiū quæstores ex toto Israelitidis terræ tractu colligebant.

VERS. 15. — ET NEGOTIATORES, UNIVERSIQUE SCRUTA VENDENTES. Hi omnes mercatores, quorum mercibus impositum statum, et certum à principe vectigal. Negotiatores autem, aliquid est majus, et ex quorum mercibus ad regium fiscum majora quotidie accedunt compendia, ut qui navigi transportant transmarinas merces, aut qui in portu onerant exoticis mercibus numerosos camelorum greges. At qui scruti vendunt, quique scrutarii, circitores aut etiam Dardanarii vocantur, illi sunt, qui levia vendunt, illisque onerati in foro civitateque concursant. Qualia sunt puerilia quædam ludicra, quibus imperiti populi fucato quodam splendore oculos, et animos capiunt; quos Hispanorum vulgus *Bohneros* appellat, aut qui detrita quædam, et veteramenta cantando circumferunt venalia. Scrutarium hominem apud Gellium lib. 5 descripsit Lucilius:

Quid in scruta quidem ut vendat scrutarius laudat Perfractam strigilim, soleam improbè dimidiatam.

Quam artem post excisam à Vespasiano Hierosolymam exercerent Judæi, de quibus Martialis lib. 1, epigr. 98:

*Hoc quod Transtiberinus ambulator,
Qui pallentia sulphurata fractis
Permutat vitreis.*

De his scrutariis, seu qui scruta vendunt, vide Gælium lib. 19, cap. 16. Ex his rebus, quas circitores isti venales circumferunt, ad familiares atque vulgares usus non vulgare ad regium fiscum compendium accedebat. Licet scrutarii hoc plerumque, magisque propriæ significant, dicuntur tamen, ut opinor, illi, qui minuta vendunt, licet pretiosa, quæ exposita sunt in apothecis, qualia sunt aromata, et alia quædam sive tegumenta, sive ornamenta corporum, et ad domesticos et familiares usus necessaria. Sanè *רוכלים rokelim*, pro quo Vul-gatus transtulit, *scruta vendentes*, ad plura patet, quām Latina vox *scrutarii*.

ET OMNES REGES ARABÆ (1) DUCESQUE TERRÆ. Subjecit Israelitico jugo David reges, regionesque vicinas, illisque tributum imposuit certum, quod singulis annis penderent ex pacto. Vide lib. 2 Reg. cap. 8 et cap. 10. Arabia non longè aberat à regione Chanaanitide, id est, à terrâ promissionis, maximē illa, quæ Petrea dicitur, ex quâ egressa existimatur Ruth Moabitæ. Certè Sinai mons est in Arabiâ, neque procul aberant illi Arabes, qui quotannis certum quoddam vectigal Josaphat tributi nomine pendebant. De quibus lib. 2 Par. cap. 17, v. 41: *Arabes quoque adducebant pecora, arietum septem millia septingenta, et hircorum totidem.* Ab his igitur magna quotannis argenti atque auri, pretiosarumque rerum summa mittebatur, sive ut solverent quæ debebant ex pacto, sive benevolentia et officii ergo, ut illius gratiam iteratis sæpè muneribus demerentur. Certè illi non servitutis, sed officiæ benevolentia gratiâ dona mittebant. De quibus 2 Paralip. 19, v. 23: *Omnes reges terrarum desiderabant videre faciem Salomonis, et deserebant ei munera, vasa argentea et aurea, per singulos annos.*

VERS. 16. — FECIT QUOQUE REX SALOMON DUCENTA SCUTA DE AURO, etc. Scuta hæc majestati potius regiæ, quām publicæ utilitati, et bellicis usibus serviebant. Licet enim multū auri in militariis instrumentis viri potentes, et plus satis elegantiæ studiosi consumerent, qui armis deberi quidquid est in naturâ pretii, atque splendoris arbitrabantur (ut diximus ad

(1) Salomon hic fuit typus Christi, de quo cecinit David psalm. 71, 9: *Coram illo procedent Aethiopes. Et Reges Tharsis et insulæ munera offerent; reges Arabum et Saba doma adducent. Et adorabunt eum omnes reges terræ; omnes gentes servient ei.* (Corn. à Lap.)

illud Zacharie cap. 14, v. 20: *Quod super frenum equi est), tamen non tam ex auro armasibi, quām ex chalybe firmiori utique materia conflare solent. Neque clypei illi, qui aurei dicuntur lib. 1 Machab. cap. 6, v. 59, ex auro solidō conflati sunt, sed inaurati, neque inu-sitatum est, ut quæ inaurata sunt, aurea non-minentur. Sic sanè Maro cū ex ære atque auro confitatum esse diceret *Aenea clypeum*, illum tamen simpliciter aureum appellat.*

*Fluit æs rivis, aurique metallum.
Vulnificusque chalybs vastâ fornace liquescit,
Ingentem clypeum informant.*

Qui tamen lib. 10, quasi totus foret ex auro solidō, aureus nominatur.

*Telumque intorsit in hostem,
Inde aliud super atque aliud, figitque, volatque,
Ingenti gyro, sed sustinet aureus umbo.
Et mox quem appellarat aureum clypeum,
æreum seu æratum appellat :*

Immanem ærato circumfert tegmine sylvam.

Quare, ut dixi, non ad bellicos casus, et militum tegumenta Salomon aureos formavit clypeos, sed ad regii splendoris, et potentiae specimen illustre. Sicut etiam Mach. lib. 1, cap. 14, v. 24, Simon clypeum misit aureum minarum mille Romanis, quibuscum sociale fœdus inire studebat, ad Machabæorum potentiae ostentationem et exemplum, non quia ex illo ad bellicos usus sperari posset aliqua commoditas. Quia verò Salomon tam suis, id est, Israelitis, quām externis suas voluit ostentare opes et potentiam, hæc in domo saltus Libani propo-suit, in loco videlicet maximē conspicuo, ac celebri, ad quem frequens erat omnium ordinum, maximusque concursus. Neque est improbable hæc omnia ante reginæ Saba adventum in domo illâ voluntatis fuisse suspensa. Licet enim haec post reginæ adventum, atque regis hospitium narrata fuerint, fieri tamen antea potuerant. Sæpè namque in Scripturâ narrantur posterius, quæ prius gesta sunt, et in profanâ quoque historiâ non est idem temporis et narrationis ordo. Neque parum admirationis reginæ afferre potuit splendor ille eximus, qui ex aureis clypeis et peltis emicabat. Porro sicut altare ligneum, et ligneæ fores in templo laminis tegebantur aureis, sic puto hosce clypeos ligneos fuisse quidem intus, foris tamen aureis laminis obductos. Quod indicat id, quod statim additur: *Sexcentos auri sculos de-dit in laminassuti unus*, id est, lamina, quæ cly-peos tegebant, singulos utique ligneos, sexcen-tos pendebat sculos, id est, 25 libras romanas.

Haec puto magis ad veritatem; est tamen non improbare hæc scuta et peltas ad regiæ etiam majestatis ostentationem à prætorianis militibus, qui regium stipabant incessum produci solita, quæ statim ad suum locum referrentur. Quod ideò mihi persuadeo, quia illa scuta ærea, quæ pro aureis supposuit Roboam, hunc usum habuisse dicuntur infra, c. 14, v. 27.

VERS. 17. — TRECENTAS PELTAS EX AURO PROBATO; TRECENTE MINÆ AURI UNAM PELTAM VESTIEBANT. Multi hic hærent, quia non inveniunt, quomodo tantum pondus aut scutorum, quod erat 25 librarum, aut peltarum, quarum pondus erat multò majus, et ita grave ut unius asini justum esset onus, ab uno milite portari potuerit. Quare aliter putant esse legendum, et quidem in Hebraicis et Græcis codicibus, ternario numero nihil additum est, ut patet, atque ideò tres minas in quâlibet peltâ, non trecentas fuisse censem, et ita apertè habent Septuaginta. Sed quia non tam ad militarem usum scuta et peltae fabricata sunt, quâm ad regiæ domûs ornamentum, non tam spectavit Salomon quid militi ad pugnam, quâm quid domui ad splendorem conferre posset aureum illud pondus.

Jam tandem exploremus quid sit inter scutum, peltamque discriminis. In vocibus latinis de hâc quæstione non est difficile judicium: de hebraicis non ita. Aliquot sunt nomina ejusdem penè significationis, quæ tegumentum illud significant, quod brachio insertum sinistro petitiones excipit, et vulnus avertit ab hostili manu. Qualis est clypeus, scutum, parma, cetra, pelta, ancilia. Quæ omnia neque omnibus serviunt, neque omnibus sunt temporibus, aut bellatoribus opportuna. Scutum oblongam habet, atque quadratam formam, curvam, ac testitudinatam superficiem, ita ut hominem totum tegat, et munit, quod Hispanus *paves* appellat, ejus magnitudinis, ut cadaveri possit esse pro feretro. Dicitur autem *θυρός*, quia portæ similitudinem refert, quæ sic est quadrata, ut longè plus longitudinis quâm latitudinis habeat. Rabbi David Hispanicâ lingâ vocari putat *Targa*; sic fortè dicebatur olim apud Hispanos, à quâ voce scutum nunc *Targeta* dicitur, ubi stemmata, aut symbola describuntur, et militare scutum ab eâdem origine vocatur *adarga*. Pelta multò minor est, neque quadratam habet sicut scutum, neque omnino ut clypeus, circularem speciem, sed similem lunæ, cùm non longè distat à plenâ, aut cùm incipiunt apparere cornua. Nam pelta

lunata dicitur ab aliquâ nimirûm lunæ similitudine. Sic Maro lib. 11 Æneid.:

Ducit Amazonidum lunatis agmina peltis.

Plinius lib. 12, cap. 5, peltam Indice sicñ folio similem esse dicit. Hæc de latinis vocibus magis certa, licet non omnes de illis eodem modo sentiant. De hebraicis res est magis impedita.

Ubi Vulgatus *scuta*, Hebr. est *Sinah*, quam varii variè reddunt, neque Vulgatus eodem semper modo convertit: modò enim transfert *clypeum*, ut Ezechiel. c. 26, v. 8, modò *loricam*, idem c. 23, v. 24, modò *hastam*, c. 28, v. 4. Aliquando *contum*, Amos 4, c. 2. Et quidem quæ hic *scuta*, Par. c. 9, v. 15, *hastæ* vocantur, sicut etiam apud Septuaginta. Alii aliis etiam modis transferunt. Sed illud videtur certum, commune nomen esse armorum quæ vel vulnus inferunt vel declinant, quod accommodatè ad rem, de quâ est sermo, exponendum est, quo modo variis in locis facit Hieronymus, qui variè convertit ad rerum naturam attemperatè. Hujus porrò generis multa sunt nomina, quæ cùm nihil significant definitum, certum, juxta rerum naturam variè convertuntur. Duo tantum afferam exempla, tu plura illis invenies quâm simillima. *תְּשִׁבְחָה asisah* id valet quod exhilarat, reficitque aut convivia, aut geniales dies; cùmque id multa prætent pro variâ rerum ac temporum naturâ, non solum ab aliis, sed à nostro etiam interpre variè convertitur. Modò enim redditur *flos*, modò *unguentum*, aut *lagena vini*, *simila frixa oleo*. Vide quæ nos pluribus ad illud Cant. c. 2: *Fulcite me floribus*. Item *תְּשִׁבְחָה chasidah* avem significat, ut appareat, quæ sublimem habet, rapidumque volatum. Quare interdum *milvus*, aut *ciconia*, interdum *herodius*, atque *upupa* convertitur. Quâ de re nos ad illud Zach. 4, v. 9: *Quasi alas milvi*.

Ubi Vulgatus *pelta*, Hebr. *maguen*, tegmen significat, quod militem munit, et ictus excipit, à radice quæ protectionem valet, quod munus, quia varia præstant militum instrumenta, ideò varia hoc sibi nomen adscribunt. Quare auctores modò *peltam*, modò *scutum*, modò *clypeum* convertunt, et *pelta*, lib. 2 Paralip. cap. 9, v. 16, *scuta* dicuntur. Hoc porrò loco Hieronymus optimè convertit *scuta* et *peltas*, quia hæc in atris ex arte disposita maxima esse solent illorum ornamenta.

VERS. 18. — FECIT ETIAM REX SALOMON THRONUM DE EBORI GRANDEM, ET VESTIVIT EUM AURO FULVO NIMIS (1). Idem esse puto hoc solium

(1) Allegor. Salomon hic repræsentavit po-

cum eo, quod factum esse dicitur supra, c. 7, v. 7, in quo judicij gratiâ Salomon sedebat. Hic tamen illius materia et forma accuratè describitur. Et quod attinet ad materiam, erat eximia venustatis et pretii, aurea videlicet, et eburnea. Nam quod Historia scholastica tradit lib. 3 Regum cap. 23, sex gradus regii solii factos ex porphyrite lapide, nullum habet in Scripturâ sacrâ fundamentum: nisi fortè paret, quod nonnulli sibi persuaserunt, ebur

testatem judicariam datam à Deo Christo, quâ homo est, ejusque solium gloriosum, in quo residebit in die judicij, judicabitque *omnes tribus terræ*. Ita Rupert. Eucher., et Angelom. Audi Eucherium: « Thronus eburneus æterni iudicii potestatem aurea divinitatis fulgentem, quam Dominicus homo à Patre accepit figuram gestasse non dubium est. Sex gradus hujus throni, omnem creaturam visibilem et invisibilem, que sex diebus facta est et Christo Domino à Patre subjecta, typicè demonstrabant. Quòd autem ipse thronus in posteriore sui parte rotundus esse describitur, hoc procul dubio datur intelligi, quia præsens mundus, qui per metas temporum volvit, in suâ extremitate à Domino sit iudicandus. Atverò duodecim leunculi per sex gradus bini stantes, sanctorum Apostolorum lineabant potestatem, quibus dictum est à Domino: *Sedebitis super duodecim thronos, iudicantes duodecim tribus Israel.* »

Symbol., thronus hic significat B. Virginem, ex quâ verus Salomon, puta æterna Dei sapientia, carnem assumpsit, in eâque quasi in throno suo ebore puriore, leonibus fortiore, et auro per charitatem fulgentiore ad novem menses consedit; unde ipsa ab Ecclesiâ in litanîis vocatur et invocatur *thronus Salomonis*. Ita Lyran. hic. B. Petrus Damiani egregium sermonem de hoc throno Salomonis habuit in Nativitate B. Virginis, ubi illum Virgini eleganter accommodat et subiicit: « Fecit, inquit, thronum, uterum videlicet intemerata Virgini, in quo sedet illa magistra. Hanc sessionem Filii et probavit et cognovit Pater, ipso dicente: *Tu cognovisti sessionem meam*. Et: *Thronus tuus, Deus, in seculum seculi*. Et: *Thronus iste sicut sol in spectu tuo.* » Et post pauca: « Et vox de throno exivit dicens: *Laudem dicite Deo nostro, omnes sancti ejus*. Et ex throno, inquit, hoc est ex Virgine laus angelorum prorumpit et hominum, quia dum hic restituatur, ille resarcitur, utrique gratiarum debent devotionem. Nôstru quidnam dicat qui sedet in throno? Ecce nova facio omnia. Felix thronus in quo sedet dominator Dominus, in quo et per quem non solum omnes, sed etiam omnia renovantur. » Et post nonnulla: « Quid grandius Virgine Maria, quæ magitudinem summæ divinitatis intra sui ventris clausit arcanum? Attende Seraphim, et in illius superioris natura supervola dignitatem, et videbis quid quid majus est, minus Virgine, solumque opificem opus istud supergredi. » Vide plura apud eundem, ubi singula throni hujus applicat B. Virginis. (Corn. à Lap.)

quoddam esse non elephantinum, sed fossile, quod propter eximium candorem dicebatur ebur. Quod tamen nobis non probatur in nostris Commentariis super Amos, ad illud cap. 3: *Peribit domus eburnea*, ubi de ædificiis operibusque eburneis non pauca. Hoc autem solium non videtur sic esse aureis tectum laminis, sicut in templo parietes et portæ tegebantur: neque enim ebur usque adeò vile et indecorum est, ut splendenti aliâ materiâ atque pretiosâ incrustari debuerit. Sanè ad operis elegantiam inire auri Tulvorem cum eboris candore, consentit Strabo lib. 16 de Arabibus. Portæ, et parietes, et tecta ex ebore, auro et argento, et lapidibus, ornatus causâ distincta. Horatius in lacunaribus aurum cum ebore consociat, lib. 2 Carm. Ode 18:

Non ebur, neque aureum

Meâ renidet in domo lacunar.

Quòd si totum solium laminis esset aureis opertum, aureum potius appellari debuit, quâm eburneum: eburneum autem dicitur lib. 2 Paral. c. 9, v. 17. Neque fortassè thronus ille totus erat è solidō ebore, sed eboreis crustis, aut tabulis materiae inductis thynæ, quomodo eburneæ domus ædificatae dicuntur ab Achab, 3 Reg. 22, et quorum meminit Amos c. 3, v. 15. Solere autem ligna ebore tegi, docuit Plinius lib. 16, c. 45; nisi dicamus interraso ebori solidō, cavitates, et sinus impleri auro, quod in varias rerum species vermiculato opere conformari solet. Sic sanè Plinius, lib. 33, c. 1, dūm nimiam hominum ambitionem exagit: « Nec tantum parietes toto operuit auro, verum et interraso marmore vermiculatis ad effigies rerum, et animalium crustis. » Certè Plautus eburatos esse dicit lectulos et vehicula, aut quia crustis tecta eboreis, aut quia ebore sectili distincta.

VERS. 19. — QUI HABEBAT SEX GRADUS, ET SUMMITAS THRONI ROTUNDA ERAT IN PARTE POSTERIORI. Descriptio hæc throni difficultis non est, ad quem per sex gradus ex eâdem materiâ ascensus; pars autem posterior, quæ excipiebat dorsum, in hemicycli modum erat testudinata, atque rotunda dici potest linea, quæ circum inchoat, non absolvit. Id autem ex eo colligo, quia pars suprema à parte posteriori formam dicitur rotundam habuisse, quod non benè cum reclinatorio æquabilis planoque consentit. De scabello suppedaneo nifil hic habemus; at in lib. 2 Par. c. 9, aureum esse dicitur.

ET DUÆ MANUS HINC ATQUE INDE, TENENTES SE-

DILE. Manus ex Latinorum usu id significat quod aliquid apprehendit et tenet, eujusque illud figura sit. Sic harpagones manus appellamus ferreas, et elephantorum proboscides, quia cibos capiunt et ad os referunt, quod manuum munus est; sic uncini, quibus libri comprimuntur; sic vitium capreoli, seu claviculae, quae obvium quodque apprehendunt, et lapsuros palmites suspendunt et sustinent, et mille alia ejusdem usus et generis manus appellantur. Sic, puto, manus vocantur hoc loco eminentiae quædam, quæ in eo magnifico solio regium sedile tenent atque sustentant, quæ fulera quædam fuerunt, quorum incertam fuisse formam argumento est, quia quæ hoc loco dicuntur manus, lib. 2 Par. nominantur brachiola. Septuaginta prominentias ilias, quæ solio subsunt, illudque sustentant, figuram indicant habuisse vitulorum, qui eo modo regio subsunt sedili; sicut duodecim hoves æneo mari, qui caput, humerosque extra molem illam grandem producent, illamque posteriori corporis parte, dorsoque suspendunt. *Et prominentiae vitulorum ipsi throno è posterioribus ejus.* Unde autem Septuaginta sumpserint, non assequor. Deinde manus super thronum videntur statuere. *Manus hinc et hinc super locum cathedra.* Harum autem manum, quem usum habere potuerint supra thronum non video; nisi fortè sint illa, quæ in hujusmodi thronis brachia dicuntur, quia sedentis brachia innixa sustentant. Quod indicat Tigurina, dum vertit: *Utrinque ad locum sedis reclinatoria erant.* Fortassè illud super, ut alibi in Scripturā non rarò, idem est, quod *juxta*. Hæc juxta translationem Septuaginta. Vulgata translatio non videtur aliam habere sententiam, quæ supra à nobis allata est. Manus autem vocari, quidquid aliquid apprehendit, conjungit, et continet, et manus ipsius usus, et natura docet, est familiaris loquendi modus. Quæ de re nos pluribus ad illud Habac. e. 2, v. 11: *Lignum, quod inter juncturas est,* Hebr. ξενός *capitum;* quod valet manus, ubi diximus manus, seu *lignum juncturæ*, esse illud, quod duos pariētes conjungit et continet, ne alii aliò incumbentes dissolvantur.

Josephus lib. 8, c. 2, videtur alium usum manibus tribuere, nempe ut regem sedentem exciperent, fortassè quia Salomon, cùm ad summam sedem ascenderet, illas apprehendebat manus, quarum adminiculò minus habebat difficultatis ascensus ille. Addit autem è suo, ut opinor, neque enim ullum video in

Scripturā fundamentum, in sedis illius reclinatio dimidiatum esse vitulum, in sua terga capite reflexo.
Et duo leones stabant juxta manus singulas. Hi leones sedili, ut appareat, suberant, quo modo boves mari æneo in templō, ut simul sedis et sedentis pondus sustinerent. Leontum autem potius quæm aliarum belluarum exprimi formas Salomon voluit, quia hoc erat gentilium insigne, et antiquum stēmmā tribūs Juda. Ex quo Genes. cap. 49, v. 9, in Juda filio illi tribui dictum est à Jacob: *Catus leonis Juda;* ad prædam, fili mi, ascendisti, requiescens accubisti ut leo, et quasi leona, quis suscitabit eum? Hinc Juda in militari signo, cùm populus per desertum incederet, leonis gestavat effigiem, quæm imitati sunt posteri. Sanè sicut Genebrardus tradit in Chronico ad annum 4140, ex sententiâ Hebræorum, leo Davidi stēmma fuit, quem deinde reges alii Judæ sunt imitati, qui in leone belluarum rege suum inter alias tribus principem locum significari voluerunt. Quare in eo throno in quo præcipue apparabat regia majestas, et ex quo populis sui nominis terrorem ostentabat, leones expressit Salomon, quasi vigiles atque custodes, qui regis tuerentur auctoritatem, atque omne ab illo periculum arcerent, sed præcipue ut suum proderet genus à Judâ propagatum. Fortassè in leonibus exprimere voluit eorum, qui sedent in cathedrâ, mores et ingenium; leo enim adeo est animo constanti et impavidio, ut ad nullius pavet occursum; sed in eas maximè belluas invehatur et saviat, in quibus vis est acier, et magis ferus et implacabilis furor. At in prostratos et humiles, neque iram videtur habere ullam, neque furoris aliquid et feritatis: certè impetum non habet, quem non omnino frenet prostrati et humili misera conditio. Quare cùm alios discepit et voret, alios idem non solum non lacérat, sed etiam tuerit et pascit. Hujus ingenium habere debet, qui præesse vult, et moderari populum. Sic sanè de re Proverb. cap. 19, v. 12: *Sicut fremitus leonis, ita et regis ira;* et sicut ros super herbam, ita et hilaritas ejus. Illud sanè regum est, aut certè illorum, qui tyrannicum agitant imperium, haerere obstinato animo in eo, quod semel arripuerē consilio, quantūcumque illud ab oīni ratione atque aequitate, inò et humanitate sit alienum, aut quia exsaturare volunt cupiditatem et iram, aut quia turpe putant mutare sententiam, ne videantur errore prolapsi, aut etiam, quo sunt animo in-

solenti et stolido, errare potuisse. Seneca in Medeā:

*Difficile quām sit animum ab irā flectere
Jam concitatum, quāmque regale hoc putet
Sceptris superbis quisquis admovet manus,
Quā cœpit ire, regiā hoc didici meā.*

At qui regio est animo, id est, ingenuo, atque non tam sibi, quām reipublicæ natus, facile sibi à furore temperat, maximè cum his, qui errasse se agnoscunt, et errati supplices veniam orant. Hi faciunt quod leones, qui ut regium putant superbis et nimis pugnacibus non cedere, sic à regiā nobilitate alienum judicant in supplices savire. Unde Ovidius lib. 3 de Tristibus, eleg. 5:

*Quò quisque est major, magis est placabilis iræ,
Et faciles motus mens generosa capit;*

Corpora magnanimo satis est præstasse leoni;

Pugna suum fincm, cùm jacet hostis, habet;

At lupus, et tristes instant morientibus ursi,

Et quæcumque minor nobilitate fera est.

Vide Plinium lib. 8, c. 16, ubi sic leo placari dicitur ad aspectum supplicis et abjecti, ut ad illum sensum intellectum nactus existimetur. *Leoni, inquit, tantum ex feris clementia in supplices: prostratis parcit, et ubi savit, in viros prius, quām in foeminas fremit; in infantes non nisi magnâ fame, credit Libya intellectum pervenire ad eos precum.*

VERS. 21. — *SED ET OMNIA VASA, QUIBUS POTABAT REX SALOMON, ERANT AUREA.* Mira commendatio Salomonis potentiae, cùm omnia vasa non tantum abaci, sed domesticæ supellestilis aurea esse dicantur. Illud tamen non sine hyperbole dicitur, Salomonis tempore nullius pretii existimari argentum, immo neque argentum fuisse Salomone regnante. Quis enim hoc credat, cùm argenti nomen hoc ipso tempore saepius audiatur? Hoc ipso capite v. 21, allatum esse dicitur è Tharsis Salomonis argentum et aurum, et v. 23, allata esse traduntur ad eundem vasa ex auro atque argento, et v. 27, tanta esse dicitur in Jerusalem argenti copia, quanta lapidum. Quæ locutio planè hyperbolica est, ut speciem habet proverbiale lib. 2 Par. c. 9, v. 20, ubi non solum vasa, in quibus potabat Salomon, dicuntur aurea, sed etiam illa, quibus inferebantur cibi, aut erant ad mensæ ministeria. *Omnia, inquit, vasa in convivis regis erant aurea.*

VERS. 22. — *QUIA CLASSIS REGIS PER MARE CUM CLASSE HIRAM SEMEL PER TRES ANNOB IBAT IN THARSIS.* Rationem ostendit eur Salomonis tempore tanto abundarit auro Hierosolyma,

qua præter illa, quæ variis pretiis David ab hostibus extorserat, aut quotannis à subactis regibus ex pacto impensa, aut etiam oblata liberali et officiosâ manu, initâ cum Hiram Tyriorum rege societate, classem mittebat in Tharsis, quæ vim maximam inde exportabat auri, et earum exoticarum mercium, quæ in patrio cœlo magno habebantur in pretio. Navigationem autem illam longissimam esse oportuit, maximè si ad redditum usque non minus tribus annis ponebatur. Nisi dicamus non totos tres annos in illâ navigatione consumi, sed eo spatio temporis unam adornari navigationem, relieto interim longiusculo tempore, in quo à navigatione cessatum est. Quod videtur omnino necessarium; nam malè jactata salo, et afflictæ à vehementiori tempestate, et allisæ fortassè scopulis, naves restaurandæ fuerunt et reficiendæ, in quibus non parvum temporis consumendum fuit; neque classis brevi tempore, ac facili negotio ad navigationem instruitur. Et ita visum est Abulensi q. 8. Sed nostro, ut reor, ævo multò minus conficeretur spatii, cùm classis invento jam magnetis usu in altum se committere sine errore possit, cùm non minus in cœlo ac mari, quām in terrâ natari possint, et observari viæ, et cursus teneri ac dirigi maritim. Salomonis autem tempore non procul classis subducebat se à terrâ; sed perpetuò legebat orientale littus, obibatque eas regiones, aut hominum conventus, quæ metallo, aut aromate, aut alio pretiosæ negotiationis genere abundare credebantur.

An verò Salomon negotiationem instituerit, fiscumque auxerit regium, publicamque gazam rerum permutatione, dubium est. Ita putat Abulensis q. 9, et pluribus Pineda in Salomone prævio lib. 4, cap. 23, Josephus lib. 8, c. 2:

Multa, inquit, navigia rex in mari, quod vocatur Tharsicum, habuit, quæ ad remotas gentes merces varias differre jussit, pro quibus exportatis aurum, et argentum regi referant, multumque eboris, et mancipia

Æthiopica, et simias. *Quod mihi etiam videtur.* Neque hoc reges sordidum putant, aut indecorum opus. Sanè mercaturam exercuisse Tyri regem usum maris opportunitate, docet Ezechiel cap. 28, v. 5: *In multitudine sapientie tuæ, et in negotiatione tuâ multiplicasti tibi fortitudinem.* Neque alio modo videtur Salomon instituisse navigationem, quām Hiram, cum quo habuisse videtur in eâ navigatione sociale commercium. Idem quod Salomon, fecit etiam postea Josaphat, qui classem instruxit ad mare